

quae nihil audeat per se, nulli adhibetur consilio. Plerique, cum aut aere alieno aut magnitudine tributorum aut iniuria potentiorum premuntur, sese in servitutem dicant nobilibus, quibus in hoscadem omnia sunt iura, quae dominis in servos. Sed de his duobus generibus alterum est druidum, alterum equitum. Illi rebus divinis intersunt, sacrificia publica ac privata procurant, religiones interpretantur: ad eos magnus adolescentium numerus disciplinae causâ concurrat, magnoque hi sunt apud eos honore. Nam fere de omnibus controversiis publicis privatisque constituunt, et si quod est admissum facinus, si caedes facta, si de finibus controversia est, iidem decernunt, praemia poenasque constituunt.

XXXV.

The Druids (continued).

Si qui aut privatus aut populus eorum decreto non stetit, sacrificiis interdicunt. Haec poena apud eos est gravissima. Quibus ita est interdictum, hi numero impiorum ac sceleratorum habentur, his omnes decedunt, aditum sermonemque defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant, neque his petentibus ius redditur neque honos ullus communicatur. His autem omnibus druidibus praest unus, qui summam inter eos habet auctoritatem. Hoc motuo aut, si qui ex reliquis excellit dignitate, succedit, aut, si sunt plures pares, suffragio druidum, nonnunquam etiam armis de principatu contendunt. Hi certo anni tempore in finibus Carnutum, quae regio totius Galliae media habetur, considunt in loco consecrato. Huc omnes undique, qui controversias habent, conveniunt eorumque decretis iudiciisque parent. Disciplina in Britannia reperta atque inde in Galliam translata esse existimatur, et nunc, qui diligentius eam rem cognoscere volunt, plerumque illo discendi causâ proficiscuntur.

XXXVI.

The Druids (continued). (Caes., Bell. Gall., VI., 14).

Druides a bello abesse consueverunt¹ neque tributa unâ cum reliquis pendunt, militiae vacationem omniumque rerum² habent immunitatem. Tantis excitati praemiis et sua sponte multi in disciplinam³ conveniunt et a parentibus propinquisque mittuntur. Magnum ibi